

ca sedis antiquae Romae Praesulem; & illo ex hoc seculo migrante Agatbo sanctissimus nuper ordinatus Papa in Apostolica sede praedictae antiquae Romae hujusmodi nostros pios suscipiens apices, destinavit in praesenti propriam ejus inductos personam Theodorum & Georgium Deo amabiles presbyteros, & Joannem Deo amabilem diaconum; ex persona vero rotius ejus Concilii Joannem, & Abundantium, & Joannem venerabiles Episcopos cum ceteris clericis, & monachis, &c. Sicut ergo discretae duae missae sunt eodem tempore legationes ad Constantinum ac fratres Imperatores; ita duae ad eandem missae sunt epistolae, altera privatim Agathonis Papae, altera vero ejusdem Agathonis ac Synodi Romae habitae, ut earumdem praefereunt inscriptiones, quarum prior sic se habet:

VI.

Domini piissimis, & serenissimis viatoribus ac triumphatoribus, carissimis filiis, amatoribus Dei & Domini nostri Jesu Christi, Constantino majori Imperatori, Heraclio, & Tiberio Augustis, Agatbo Episcopo servus servorum Dei.

Agathonis Episcopi ad Imperatores.

Consideranti mihi humane vite diversos angores, & ante Deum, qui unus & verus est, cum vehementia fletuum ingementi, ut consolationem animae fluctuanti divinae miserationis impertiret instinctus, & de profundo meroribus, & angustiae potentia suae dextera sublevarer: magnam atque mirabilem cum indefessis gratiarum actione, serenissimi domini filii, confiteor, consolationis opportunitatem exhibere dignatus est, piissimum tranquillae mansuetudinis vestrae propositum quod ad stabilitatem divinitus commissae Reipublicae Christianae ejus concessit dignationem, ut Imperialis virtus atque clementia de Deo, per quem Reges (a) regnant & qui Rex regum & Dominus dominantium est, & curet & querat immaculatae fidei veritatem, ut ab Apostolis atque Apostolicis est Patribus tradita, inquirere vigilantem; atque ut vera traditione continet, instantissime desideret in omnibus Ecclesiis obtinere.

(a) Prov. 8.

VII.

Et ne quemquam tam pia lateret intentione audientium, humane suspicio perterreret, aestimantium potestate nos esse compulsos, & non plena serenitate ad satisfaciendum super Evangelicae, & Apostolicae nostrae fidei praedicatione communitos: divales apices ad Apostolicam memoriam Donum Pontificem nostrae pusillitatis praedecessorem, cunctis populis ac generibus per nostrum ministerium patefecerunt ac patefaciunt *, quos gratia sancti Spiritus Imperialis linguae calamo de puro cordis thesauro dictavit, commoneatis, non opprimitis; satisfaciatis, non perterrentis; non affligentis, sed exhortantis, & ad ea quae Dei sunt, secundum Ann. Eccl. Tom. XII.

* satisfaciunt.

Deum invitantis. Quia & ipse conditor omnium ac Redemptor cum posset in sua divinitatis majestate in seculum veniendo mortales perterrere, humanitate magis inestimabilis clementiae humiliter ad nostra descendens, quos creavit, dignatus est & redimere. Qui & spontaneam de nobis vera de se fidei confessionem expectat: quod & B. Petrus Apostolorum princeps commonet (b): Pascite, qui in vobis est, gregem Christi non coacte sed sponte, secundum Deum exhortantes.

(b) 1. Petr.

VIII.

His itaque mansuetissimi rerum domini, divalibus apicibus animatus, & ad spem consolationis de profundis angoribus alleviatus *, sum meliori refectus confidentia paulatim, & his quae per mansuetissima fortitudinis vestrae sacram dudum praecipita sunt, efficaciter promptam obsequentiam exhibere; ut personas, quales secundum temporis hujus defectum ac servilis provinciae qualitatem poterant inveniri, pro obedientiae satisfactione inquirerem, & cum consilio confamilorum meorum Episcoporum tam de propinqua hujus Apostolicae sedis Synodo, quamque de familiari clero, amatores Christiani Imperii, & sequenter de religiosis servis Dei, ut ad piissimam tranquillitatis vestrae vestigia properarent, hortarer. Et nisi longos provinciarum ambitus, in quibus humilitatis nostrae Concilium constitutum est, tanti temporis protelationem ingeret; olim hoc, quod vix tandem nunc fieri potuit, studiosa obedientia nosser famulatus impleverat. Sed dum de diversis provinciis familiare nobiscum Concilium congregatur, & dum personas quasdam quidem de hac servili vestri serenissimi principatus Romana urbe, vel proxima dirigere procuramus, quasdam de longe positis provinciis, in quibus verbum Christianae fidei ab Apostolicis exiguitatis meae praedecessoribus missi praedicabant, remeare praestolamur, non parvus temporum cursus elapsus est: ut corporales agritudines mei famulatus silentio transeam, quibus nec vivere licet, nec libet assiduis agrimoniis laborantem. Quem audis, lector, expectatum e longinquis regionibus, hunc fuisse scias Theodorum in Angliam antea missum, qui aliis litteris a Synodo Romana datis nominatim explicatur. Sed pergit de legatis missis:

* elevatus.

Legati haud adeo imbuti scientiis.

IX.

Ideoque, Christianissimi domini filii, secundum piissimam jussionem a Deo protegende mansuetudinis vestrae, pro obedientia quam debuimus, non pro confidentia eorum scientiae quos dirigimus, praesentes famulos nostros Abundantium, & Joannem reverendissimos fratres nostros Episcopos, Theodorum, & Georgium dilectissimos filios nostros presbyteros cum dilectissimo filio nostro Joanne diacono; &

A 2

Con-